Freidenreich Urbani Panegyricus Sereniss. Maximiliano Boioru[m] Duci e bello revertenti dictus.

# PANEGYRICVS
SERENISSIMO
# MAXIMILIANO
## BOIORVM DVCI
E BELLO
*QVO*
## IMPERIVM

Pacauit, Auſtriam ſuperiorem Cæſari vindicauit, inferiorem hoſte liberauit, Bohemos acie vicit, & Pragam Regni caput occupauit,

## Reuertenti dictus.

AB
VRBANO FREIDENREICH *Bauaro, Iureconſulto.*

POSNANIÆ.
Typis Ioannis Roſſowski, Anno 1621.



ILLVSTRISSIMO DOMINO;

# D. WLADISLAO A CZARNKOW CZARNKOWSKI, BYDGOSTIENSI, PYZDRENSI &c. CAPITANEO,

Domino ſuo Clementiſsimo.

*VEnit ad Te Illustr: Wladislae, Sereniſsimus Maximilianus Bauarus, ille nuper armatus, iam hodie Laureatus.* Quantus *Princeps? Sanguis moreſque testantur.* Quantus Imperator? *Bella loquuntur.* Quantus *victor? clamant triumphi. Quibus omnibus ne quondam inuida vetustas deroget, Panegyris hæc facit, quam Maximiliano ſcriptam a ſuo, Tibi Illustriſs: Wladislae oblatam a tuo habes cliente. Vt ille Principi ſuo ſcriberet, debitum ſubditi postulabat: vt ego Tibi meo Mæcænati offerrem, studium Tibi ad gratiam faciendi coegit. Nec opinor ingratum officium meum erit, quod tantum Tibi Principem, natiuis coloribus, hoc est, veris laudibus efformatum, in manus deponit. Accipe igitur hilari & porrecta fronte quod affero, & non tam ad afferentem me, qui nullus ſum, quam potius ad allatum Maximilianum attendens, animum meum Tui studioſum, gratia beneuolentiaque Tua non indignum æstima. Viue Illustriſs: Domine, Deo, Patriæ, Generi, Tibi, felix, diu.*

*Illustriſs: T. Celsitudinis*

*Humilis ſeruitor,*

Ioannes Roſsowski
Typogr: Poſn.

Imperatores appellandi ſunt, quorum virtute & conſilij felicitate, maximis periculis ſeruitutis atque interitus liberati ſumus. *Cic. 14. Philip.*

Cum multis pugnet oportet, qui multis vult imperare. *Plutarchus in Lacon.*

SERENISSIMI

# MAXIMILIANI

## BOIORVM DVCIS,

### FELIX CELERITAS.

TEmpore quam ſubito reparâſti, maxime Princeps
Quæ furor hoſtilis ſuſtulit Imperio!
Romanam Fabius cunctando reſtituit rem:
Hic quod cunctando; tu properando facis:
Marte tuo viſo deterritus hoſtis ad Vlmam,
Depoſuit trepidâ protinus arma manu,
Quíque rebellârunt ſupra, infra flumen Anaſſum,
Quique Bohemorum nomine ad arma ruunt.
Sub Boium gens torua iugum mox colla dedére,
Submiſit faſces Regia Praga ſuos.
Denique tam celerem dum te, Dux inclite, miror,
Tam citò vix ſcribo, quàm citò bella geris.

Ioachimus Meychel.

# LECTORI
## SALVTEM.

*SCripsi Panegyricum atque si dixissem, meopte ingenio & cupidine, cui in tanta omnium lætitia imperare non potui. Gratiam adeo non aucupor, vt timeam, ne excidam. Altæ mentes ea quæ fortiter ac præclare gessere, non volunt humiliter dici; & aut nullam amant laudem, aut factis parem, quam ego præstare non possum, scribo tamen ac si possem. tu Lector veniam dato, ac si debeas.*

# PANEGYRICVS.

NOn arbitror quemquam esse, Serenissime Princeps Maximiliane, ex hac tanta omnium ordinum concione, os sacrum vultumq; Serenitatis vestræ intuente, qui non immensâ quadam animi voluptate perfundatur, atque etiam non mediocri cupidine efferatur, publicâ voce Principis sui, tot victorijs incliti, tot morbi mortisq; discriminibus perfuncti, optatissimum reditum gratulandi, ac faustis acclamationibus tantarum terrarum Domitorem prosequendi. Gestit ad hoc quisque; nec linguas multitudo contineret, nisi maiestate Serenissimi vultus absterreretur, sciretque Serenitatē V. magis amare, facere dicenda, quam facta dici. Nè tamen omnes tanquam Sigaliones in ingrato silentij templo collocati esse videamur, placet vt ego vnus omnium loco loquar; tametsi subuerear me audaciæ notam subiturum, qui ante alios extra ordinem procurram, qui partes suscipiam facultati meæ impares, qui omnium nomine perorem, non omnium nomine rogatus. Imò verò cum me omnes læti applaudentesq; aspiciant, omnes rogare videntur, imperaturi silentium seueriore fronte, si nollent; & audax ego omninò forem, si mihi vni omnium personam arrogâssem: sed aliud est omnes agere, aliud omnium interpretem & præconem profiteri; quod si & hunc pro dignitate non exhibeam, haud grauatè patiar vt dicatur me malè loqui, vera narrare. Duo me infantiorem solantur; alterum est quod & alius quantumuis dicendi peritus, cum summa eloquentiæ copiâ minus dixisset, quam tu gesseris. Quare si Tullio alicui, aut Demostheni venia danda fuisset, haud vanâ spe fruor, eandem mihi quoque concedendam: nam etsi

plus pecco, pietate in principem pecco: alterum est, quod ipsa lætitia, quam ex fama rerum abs te gestarum percipio, mentem in diuersa abripiat, faciatque vt plurima habeam, quæ dicam, sed quid primum postremumque, aut quomodo dicam, nesciam. Quanquam haud opus est, vt ego id tester, credent alij etiam me tacente: quidquid tamen sit Serenissime Princeps, habuisses me omnino maiorem Oratorem, si ad minorem Principem dicendum fuisset: patienter igitur audies tua causa peiorem.

Septuaginta anni sunt admodum, cum è Gallijs Furiarũ quarta, Caluini hæresis effusa, etiam Germaniæ partem occupauit, & more suo homines dulci quodam philtro furiauit. Omnes ordines plenis Comitijs Anno M. D. LXVI. detestabilem sectam exosi, auctore Cæsare pellendam decreto censuêre. Intercessêre Tribuni è mansuetiore Lutheri palæstra, quos iam clementiæ pænitet, concepta spe, infirmos fratres (ita enim eos appellauêre) tolerantiâ emendari posse: emendati sunt, si virtutis putamus, è malis deteriores fieri; cum numero sensim creuêre animi, nec iam amplius sese hospites tulêre; sed de exitio veterum inquilinorum consilia iniuêre, vt illi regnarent, qui in Imperio nec parere debebant, immò nec apparere. Vt verò voto potirentur, iam diu in Comitijs magna arte lites serere, Confessionem Augustanam professos, quibus suus in imperio locus, vafris technis in societatem pellicere, in Catholicos multas culpas conijcere, ipsi committere, ius & fas violatum quiritari, & simul nullum ferre; omnia demum miscere, & vertere, atque ita quidẽ vt Imperatorem salutarent, ipsi vero imperarent; angustius tamen quàm vellent. Quocirca multis iam annis consilia & vota contulére, clancularijs ac vetitis coitionibus adlaborantibus ex legibus Leguleiis, quorum callidis machinationibus eò vesaniæ ruêre, vt quæsitâ occasione, meditata perficerent,

cerent, & aliena regna raperent, sua amissuri.

Cesserat Bohemia Matthias Augustus, Viennamque Sedem transtulerat. Praga magis relicta, quàm deserta, suo enim loco ad clauum sedere iussit viros, diuitijs, nobilitate, ac rerum Bohemicarum scientiâ præstantes; nec accusare Caluinistæ poterant, aut Cæsaris de tantis viris iudicium, aut ipsos præsides muneribus suis indignos.

Religio displicuit, Regnum placuit: atque vt illa rueret, præcipitati sunt præsides: vti hoc obtineretur proscriptione, exilio, spoliatione bonorum, ferro ac flammâ rem geri libuit; & regnum cœpêre perdere, qui quærebant. Inauditum facinus, quodq; solum probarunt, qui commisêre Cæsar clementiâ vsus, ipsi superbâ feritate; iussit ille aut querelas deponere, aut ius suum prosequi apud Tribunal; ipsi nullum sceptrum agnoscere, sed suum ferre, & inconcessa potestate Regias functiones obire, ac pro vno Agamemnone triginta parturire, qui Directores dicti, credo vt ciues suos rectà ad interitũ dirigerent. Ergo arma in armatos sumpta, & vario euentu primo anno certatum, interciditque belli cursum mors Cæsaris, cui viuo adhuc surrogatus Ferdinandus, eo loco apud Bohemos fuit, quo Matthias; sicuti enim huius imperium excusserant, ita illius nunquam accepêre, & nulla fuit illis electio, quam tamen aliquam esse volebant eum elegêre.

Altero anno eximius Ducum Bucquaius cæsis Mansfeldij copijs numerosum exercitum laudatorum militum robore validum, per asperrima viarum in interiora Regni duxit Pragam, rebellionis caput petiturus; sed conspirante in eum perpete pluuiâ, ac Vngaricâ lue per castra sæuiente, tardiùs mouit, demumque effuso ac latè omnia ad Viennam populante Gabore, destinatam iræ suæ Pragam relinquere, periclitanti Viennæ opem ferre, exercitumque à tanta prædâ auulsum, inuitum, frementemque reducere compulsus est



salubri

ſalubri conſilio. Nam Viennâ retentâ, Praga repeti potuit; vt aliquando pateretur ipſa quod minabatur Viennæ. Gabor ibi & Turmius ad fluenta Danubij, ſpectabiles erga minorem manum; ad parem, latebras quæſituri: didicêre tamen, etiam exiguas copias, ſi vincere non licuit, ſuperari non potuiſſe.

Interea Ferdinandus Bohemorum conſenſu, Rex lectus, Bohemorum manibus coronatus, Bohemorum vocibus proclamatus, cum Francofurti & Rex agnoſceretur à Palatino, & Cæſar eſſe inciperet, poſtridie Bohemis Rex eſſe deſiit, ſcelere nimirum inexpiabili per vnam noctem commiſſo. Itaque Palatinus compoſitam diu ante fabulam, in theatro dat, & procerum Bohemicorum aſſenſu, breues ac fluxas habenas capeſsit; plenus animis, Regioq; faſtu ſublimis, venturi incurioſus.

Parte altera proteſtantes fœderati, per Germaniam, & ipſi bellum meditari, ad diſtinenda Cæſaris auxilia, indigna per Legatos poſtulare, tempus præſcribere, minas iacere; ſuas, Tranſiluanicas & Turcicas opes oſtentare, altè incedere, rem factam habere, ante victoriam triumphum canere, Cæſari inſultare, Principes deſpicere, Catholicas vires eleuare. Quis non decidentis cœli caſum paueſceret? Iam iam ad ictum patebamus prophani, iam rubebant è vulnere Eccleſiaſtici, omnia Mars famelicus deuorauerat.

Adulto iam autumno, Auſtriam Cæſar Francofurto repetens, vt cognatam Domum interuiſeret, Monachium peruenit. Et Serenitas Veſtra honoris cauſa Auguſtam vſque obuiam ijt, atque in imperantem Bauariæ Vrbem ſuam magnifico apparatu deduxit. Lōgo ac bellico ordine ciues in armis erant, equites aut ſagulis fulgebant, aut cataphrati ferro horrebant, multâ & ſuperbâ aulicorum equeſtri pompa. Ante portam certâ ſerie viſendæ magnitudinis tormenta, ſibique ex aduerſo oppoſita alternatim tonitrua, ac feſta ful-

mina

mina edidêre, arsitque nox insequens, atq; vna cœlum, malleolis ac missilibus. Crassi, breuesq; magni rictus ex ære tubi, in terram destituti, sublucente flamma, in altum proiecêre pilas, arte fabrefactas, ac vterum gerentes, quæ in ipso æthræ inani per violentiam ruptæ, ternas quaternasque alias pepêrere, pariter rumpendas, pariter ruptas, ac latè longeq; iucunda incendia spargentes, digno Principibus spectaculo. Cæsar ad aulam diuertit, Suæ Maiestati parem, ingenij Serenitatis V. opus: omnia in ea Regio cultu ornata omnia magnis censoribus admiranda: & damnari potuisset impensa, nisi à tanto Principe ædificata, aut tanto ab hospite fuisset inhabitata. Nullum per Germaniam, fortasse per Europam Palatium, quod cum hoc decertet, & in quo raræ artes cum preciosissimis rerum, de principatu contendant, vtræque tamen vincant æstimationem.

Hic cum circumquaq; hostile classicum perstreperet sororius Cæsar Serenitati Vestræ pro auctoritate negotium dedit, vti socijs armis cum Bucquaio, qui maiori solertiâ quàm milite Austriam tuebatur, bellum capesseret, ac tot terrarum rebelles ac perduelles in ordinem cogeret, nec segnis Serenitas V. habito cum Catholicis fæderatis Virceburgi conuentu, ac Saxone æqui & recti amante Principe Milhæsij Thuringorum in partes adducto, exactissimas militum conquisitiones instituit: præter Germanos, Galli, Lotharingi, Valones, Croatæ, aliarumque gentium bellatores, magnis præmijs ad signa vocati, in Sueuiam per varios & longos viarum tractus, obsidente breuiora itinera hoste, ad delectum venêre. Timebant crescentibus sensim copiis protestantes Vlmæ trepidanti, idcirco suas quoque copias admouêre, atque vt securius hostem spectarent vallo se muniuêre.

Sub Iunium extremum castra Serenitatis V. auxêre Lotharingorum, Vbiorumq; Legiones Ducibus Vademontio,

iuniore

iuniore iuuentutis Principe, & Barone Anhaltino, militia claro. Mox ipsa Serenitas V. ne qua fama didi posset per speciem venationis Monachio discedens Dilingam, Antistitis Augustani oppidum, cui vicina erant castra, profecto missis Vlmam legatis ad Principes, protestantes & exercitus Duces, adnitentibus Gallis ad Cæsarem oratoribus, per id tempus Vlmæ hospitantibus, pacem extorsit, vt Germaniæ reliquæ consultum esset, exorto in Austria bello, quod & Serenitas Vestra volebat, & à Cæsare identidem sollicitabatur. Bucquaio vnicum negotium erat, Bohemos à Viennâ arcere, & Austrij tam inferi quam superi, gens Domini, quem ortus & natura dederat, oblita, acerbiores hostes erant, quam ipsi Bohemi, Superi quoque traiectâ per Danubium catenâ, iter clauserant, vt sine obsidentibus, Imperator Viennæ obsideretur. Pax igitur Vlmæ Sueuorum facta, vt alibi bellum inferretur, quod consilium cum vulgo ignoraretur, pax multis parum grata visa, & prætulêre bellum, qui ægrè ferebant armatum amicum, verum euentus ostendit Serenitatem Vestrā in pace stabilienda sapienter egisse, stulte reprehensam. Non est Ducis causas rerum gerendarum vulgare, nec rationem reddere, sed habere: tempus & euentus, ostendunt bonum consilio virum: satis est, si quod vnus scit, omnes exequantur.

Compositis igitur Germaniæ rebus, copias, partim Danubio, partim terrâ Serenitas V. Passauium abduxit, modiceq; flexo in meridiem itinere, Scherdingam ditionis suæ oppidum peruenit, vnde missis Oratoribus Lincium ad Ordines mandata, quæ à Cæsare habuit, exposuit, supremumque rebelles ascitæ vesaniæ admonuit, ac simul Austriam intrauit, quietis amicus, hostis hostibus futurus: vti & accidit, reiectis primum lymphatis rusticorum turmis, quæ cæduis siluis vias intersepserant, & aditu tuos arcere conabantur, expugnataque vnâ alteraque arce, quæ progredientibus armatis obsi-

tis obſiſtere debebant. Terruit hæc celeritas Ordines conſilij inopes, miſsis tamen octo Legatis, de quibus neſcio legibus deditionis muſſitabant; ſed reſponſum tulêre Serenitatē V. aliâs Lincium contendere, ibi ſe interrogari poſſe & intelligi: interea præſidium Lincio deducerent, ac tibi vincenti portas aperirent. Quarto igitur Auguſti in vrbem Prouinciæ Principem inuectus humentibus multorum oculis, plurium dolētib⁹animis: miratiq; ipſi rebelles ſunt, quomodo aut tu ad ipſos tam properè veniſſes, aut ipſi te tam trepidè admiſiſſent. ſatis conſtat ſi Deus mentem non eripuiſſet, potuiſſe illos Serenitati Veſtræ non paruam moram inijcere: nam ſex prope millia conſcriptorum ſub ſignis numerauêre, & inſuper quindecim indigenarum obijcere licuiſſet. Improuiſa feſtinatio territorum conſilia diſsipauit, animoſq; ſui ignaros adeò abiecit, vti ſe velle dicerent, quod nolebant. Ita bene fecêre neſcij, ſcientes non potuiſſent. Nempe tanto morum Magiſtro proficitur, mox enim peruicacitate, ſi non poſitâ ſaltim caſtigatâ, Iſter vinclis liberatur, viæ præſidijs clauſæ aperiuntur, miles in caput Domini conſcriptus exauthoratur, Vienna ſua captiuitate eximitur, commeatus importatur, & quicquid Catholicæ rei addictum eſt, reſpirat.

Omnia iſta oculis ſubactorum dolorem intulêre, hoc etiam animis. iuſsi in verba Tua iurare, ac fœdera in perniciem Domini ſui percuſſa reſcindere, telū hoc fuit, quod viſcera hauſit. Sed vti primū præſtarent, conditiones propoſuerunt, quia vincentium eſt leges dare, deuictorū accipere; deuictorū fortunā ſubiêre, eualuitq; illud, Velis nolis. Poſterius pudor præpediebat, atque etiam dicti cum diuina obteſtatione Sacramenti religio. Religio, inquam, apud Caluiniſtas, cum benè agitur poſtrema, cum malè, prima. Sed an omnes Auſtriaci qui Cæſaris iugum excuſſerant, Caluiniſtæ fuerint, haut dixerim; omnes certè Caluiniſticè fecêre, & tamen ſe pecca-

 re arbi-

rē arbitrabantur, si peccatum corrigerent. Videor eos audire in hunc modum fari: Quid noster orbis, quid nouus dicet? Ferro septum adhuc pectus nostrum arbitrabatur Europa, Heroës habebamur, & Auctores speratæ libertatis: nam à nobis ad alios consilia deriuabantur, nostris iudicijs aliena formabantur, nos ingenio, nos audaciâ alios ereximus & reximus: & quis iusiurandum violet? iusiurandum Deo factum vidente cœlo, stellis lucentibus, iuramentum sacrosanctum esse debet. Hæc eadem meminisse oportebat cum Principi suo fidem, quam eadem religione dederant, aut frangerent, aut non seruarent: nam societatem cum hoste domini coîre, non est fidei, non est iurantis, non est beneficiarij. Qui pro magno habuit à Domino desciscere, factiosis se accensere, rebellem agere, pro magno pariter habeat Principem suum respicere, societatem vetitam deserere, naturalis nexus erga Dominum recordari, aut si illi istud pro magno non est, modo pœna sit, pro minimo sit.

Sed quæ hæc est gloria tua, Serenissime, intra quatuor aut quinq; dies, quibus in conspectum Austriæ venisti, Austriam, quæ cis Anasum est occupare, & Domino suo Cæsari vindicare? Septem in ea Vrbes, monasteria aliquot, multa oppida, arces plurimæ, pagorum multitudo ingens, terra ipsa frugibus, pecore & metallis diues, nobilitas florens & opulenta, populus copiosus, Prouincia omnis aut munita fluminibus, aut clausa montibus. Gemmula Prouinciarum esse potuisset, si sua bona nouisset, Magistratumque obseruasset, nō gessisset. Religio prætextum fuit, permittebatur Lutherana; ipsi & Caluinianā colebant, nec ideò vim passi sunt, sed fecêre. Quid porrò voluerint, nescio: scio quid consecuti sint, imò quid consecuta Serenitas Vestra, tantullo impendio temporis: æternitatem nimirum nominis. alijs ad laudē abundè foret, tam paucis solibus ciuitatē subijcere; Serenitas Vestra Prouinciam subegit.

Lincij

Lincij dum Serenitas Veſtra agit, ac pro tempore Magiſtratum, abdicato vetere per factionem creato, imponit, Cæſaris miſſu à Tampierio fortiſsimo Duce inuiſitur, & gratulandi causâ & poſtulandi, vti omiſſâ tantiſper Bohemiâ in inferiorem Auſtriam arma verteret, ac Bucquaio, ad hoſtium caſtra excubanti, ſed militum numero impari, ſe iungeret, Bohemiumq; hoſtem, multitudine ferocem, aut contunderet, aut finibus eijceret. Nec mora, aſcitis in ſupplementum militibus, quos Ordines dimiſerant, præſidijſq; per opportuna loca relictis, iter Bohemicum ſimulans, Freſtadium Bohemiæ conterminum petiſti. Inde per caduceatorem ad Regulum ac Bohemiæ proceres, Cæſaris voluntatem & comiſſam Tibi Prouinciam denunciâſti, haut admodum iucundis literis, tametſi Bohemi in ſpeciem fortibus animis minas & intentas pœnas contemnere viderentur, quas tamen occultè timerent, & nec ſenſuri fuiſſent, ſi ſenſum habuiſſent. Cum nihil pacatè reſponderetur, paſsimq; opinio inualeſceret te rectâ Pragam perrecturum, per anguſta viarum, & pinguis terræ culta, impedimenta bellico morantia, difficili itinere contendiſti ad Bucquaium lætum tanto auxilio, & tanto Duce. Longè alius ad hoc nuncium apud hoſtem affectus; collectis enim properè vaſis, in Morauiam iter intendit, ac Dionſodorfij obſidionem tantâ cum trepidatione ſoluit, vt partem impedimentorum aduerſariorum prædæ exponeret; nec tutum arbitrabatur vſquam conſiſtere, ſed ſalutem in diuerticulis & deſultoria militia ponebat, quod valeret ad ducendum tempus, & diſtinendum hoſtem, nè quod meditabatur, perficeret. Verùm non ſolum Caluiniſtis ingenium, etiam Catholico cerebro fax illucet: explorata techna eſt, & qui trahere te Princeps prouidè volebant, tracti ſunt ipſi: comperto enim te expugnatis caſtris & vrbibus, quæ imperium Cæſaris exuerant, liberataq; Auſtriâ, iter Bohemiam capeſſere, ſequi & ipſis viſum,

ſum, vti vim patriæ inferendam, vi arcerent: ſed non tantum illis animi fuit, quantum conſilij. Serenitas V. vnaque Bucquaius gemino & amico exercitu, obuias vrbes aggreſsi, præſidijs ciuibusq; fruſtra obſiſtentibus, ferro expugnaſtis; ſpectârunt illi, & quidem procul. Budna certè duplici foſſâ ac vallo munita non plus vnâ die armis Serenitatis Veſtræ ſubacta, clementiam victoris ſalua laudauit, præda duntaxat militi, ciuibus vitâ permiſſâ. Bracadizium pertinacioribus animis, in Buquaij copias vſum, ſuperatis militum virtute mœnibus, internecione omnis ordinis & ſexus crudeles pœnas dedit. Piska deinde ſuperioris anni cladibus triſtis adhuc, ferox tamen nouo ciue ac milite, coronâ vtriuſque exercitus cincta, dum Martios animos ſeriùs ponit, clementiamq; Serenitatis Veſtræ implorat, à concitato indignabundoque milite inuaditur, ac miſerabili ſtrage per omnia compita fœdatur, ita vt nec tecta, quo confugerat, imbellem turbam texerint, fruſtra obnitente & Serenitate Veſtra, & ipſo Bucquaio contra militarem rabiem ſtricto enſe procurrente. Ceteræ demum vrbes maluêre portas ad intrandũ venientibus aperire, quàm claudere, nè claudendo efficerent, vt nemo deinceps ſuorum exiret; Dauſio Clatouioq; exceptis, per Serenitatis Veſtræ Duces, quos è Bauaria ad ſe vocârat, ferro & flammâ ad obſequium reductis. Ad Pilſnam à Praga totius Regni ſecundam properandum cenſuiſti, ferro aut clementiâ vſurus. Sed enim Pilſna curæ Deo fuit, qui noluit vt Catholica Vrbs, tot exemplis & pietatis, & inconcuſſæ fidei erga ſuum Regem clara, iteratò ea ferret, quæ duobus abhinc annis, cùm Catholici orbis gemitu tulerat. Parſum igitur lugentibus adhuc tectis, ſeu calliditate Ducis, qui eam pro imperio obtinet, ſeu iuſtâ pollicitatione in poteſtate Cæſaris ſe futurum. Aliquid horum fuiſſe abſtinentia armorum docuit, & appetentis hyemis metus perſuaſit. Ergo hoſti imminens feſtinâſti Sereniſsime

Princeps,

Princeps, eumq; ad Rachonizium confidentem aſſecutus es. Pro pridiè Cal. Nouembr. cum tuis & Neapolitana legione comitatus, Bucquaianas copias antecedêres, miſiſti, qui interiacentem ſiluam explorarent: rebaris enim, quod erat, illam parturire technas. Velitatio igitur cum non improuiſis orta, & dum hinc & hinc ſuis ſuccurritur, ad iuſtam prope pugnam deuentum eſt, etiam magnis tormentis horrendum boantibus: pulſus à te hoſtis non ſilua ſolùm, ſed colle quoque ſiluæ imminente, non ſine clade; vt enim altero die ex captiuis intellectum eſt, centeni aliquot cecidêre, Baro Teuffelius, & ſignum ſupremi Ducis Anhaltini in poteſtatem venêre. Ex tuis pauci deſiderati, nec magni nominis, præter vnum Aquauiuam cohortis Neapolitanæ Ducem. Inſequente die Bohemus intra vallum hæſit, certumq; duntaxat eminus tormentis, non ſine grandi periculo tuo. Volitabant enim metuendo ſibilo ſtridentes, quibus patebas, vndique pilæ, ceciditque ad latus tuum truncatis immaniter pedibus Baro Fuggerus. Sed tibi diutius non libuit hoſtem in campis obſidere; ergo abitu proliciendus erat: nec mora, loco, quem ideò tantum occupauerat, vt relinqueret, exceſsit, iterque, nè prior Pragam venires, admodum properauit. Neque tu cunctandum exiſtimaſti: ſicut enim hoſtis feſtinanter tendere potuit, ita eius Tu veſtigia legere, extremum agmen carpere, cædere, fatigare, commeatum interuertere. Cum VII. Id. Nouembr. in planitie inſtructis ordinibus viſendum offendiſſes, etiam tuam aciem oſtendiſti, pugnaturus quoque, niſi Bucquaius tardius mouiſſet, & imminens nox conſpectum ademiſſet. Viſum igitur tibi, nè ſemper Bohemus elabi poſſet, noctu quoque proficiſci. Iamque medijs tenebris in equo eras, & quaſi futurorum præſagus impigrè ducebas, donec tandem ad fatalem vltimique certaminis metam peruentum. Proluſêre mox tuæ copiæ, hoſtemque ſubmouêre: ſed inhibuiſti impetum, Bucquaium expectans.

Hortus eſt & amplitudine & æmœnitate dimidio milliari à Praga celebris, in eo ſilueſtres feræ, venatorum delectu in oblectamenta Regum coërcentur, pone hunc ad ſtellam palatium. Hoſtilis exercitus, vt periclitantem Pragam defenderet, colles inſedit, & feſtinatâ militum operâ, inſequentibus tuis copijs, vallum obiecit, breue ſolatium imminentis mali. Atque vbi Bohemum in acie ſtantem conſpicatus eſt exercitus, nonnulli de alea iacienda dubitauêre, imò prælium diſſuadere adniſi, quod hoſti in edito loco procliue eſſet ſubeuntes cœdêre, ac præterea aggere, quamuis humiliore tegeretur. & reuera conſilium humanum erat, temeritatis videri, tam iniquo loco prœlium inire: ſed enim Diuinum, quo generoſum Tuum pectus vrgebatur, vt debuit, euicit. Inerat tibi altior ſtimulus, neque tam Tuas quam Numinis vires æſtimabas. Intuitus eras mente Sanctorum in cœlo degentium (quibus ille dies è Sacris octauus & feſtus) copias ad tua vexilla iuratas: certus Te ab illis non deſtitutum iri. Aderat enim vindictæ tempus, & laceſsiti per annum Diui, fata Caluiniſtarum apud Deum, ſcelerum vindicem properabant. Anno ſuperiori vbi in Bohemia pedem firmârat Caluinus, cœpit mox ipſas Dei ſedes, dicata Diuis templa impiare, inter ſacroſancta adyta latrocinari, verenda vetuſtate ſepulchra temerare, oſſa & reliquias, Sanctorum cineres inceſtare, ſigna & imagines aris deturbare, truncare, mutilare, frangere, proterere, vrere, veſanæ tubæ ludibrio obiicere, vociferari, nos Catholicos inceſſere, & inſaniam docere, Sanctis honorem non habendum, & ſtatuas eorum eliminandas. Nimirum iſti Caluiniani pueri, heri nati, quibus nec pilo, nec hilo mentum veſtitur, canitiem noſtram doceant, quorum aui non noſſent legere, niſi à Catholicis didiciſſent. Sed vidêre facinus Sancti, & nè eos porrò in cœlo ſedere cœcos Caluiniſtæ putarent, in impios hoſtes ſuos arma pariter ſumpſêre. Videbaris omninò non neſcire, Sereniſsime Prin-

me Princeps, cœleſtes acies augere tuas: nec diſpar fermè ſenſus exercitui tuo fuit: nam vbi inter Duces, te auctore ſententia tenuit confligendum cum hoſte, opportunitate colliũ, quibus fidebat valentiore, Duces alacritate, milites virtute hoſtem exæquauêre. Tu verò animo altus, equo conſpicuus, ferrum in dextra gerebas, robur in milite videbas, ſpem tamẽ in Numine ponebas: homines in prœlium mittebas, experturus in eo Diuos. Tillius legatus tuus (Bucquaium vulnus in curru tenebat) vetus bellator, & Turcorum olim armis notus, Tuo imperio inſtructam per aciem equo curſore vſus, canere ſigna iuſsit, hoſtemque magnis animis inuadere. Eodem hortationis genere Tieffenbacchius inter Cæſarianos vſus, magnos & ipſe ſpiritus, inter certaturos concitauit: ac mox è lucente tormentis flammâ, cœlum omne ac ſolum mugire, concauæ valles geminatos bombos reddere, miles per ferreos imbres tendere, per abrupta ſubire, vallum tranſcendere, pedem inferre, tubis, tympanis omnia perſtrepere, pugnantes clamare, morientes fremere, nequaquam propitiâ primùm victoriæ fronte; pulſæ enim aliquot equitum alæ, & peditum ſigna, locum fecêre alienæ virtuti. Crazius ex Germana nobilitate heros à Serenitate Veſtra quingentis equitibus prœfectus, Anhaltinum iuniorem, impigrum iuuenem in noſtros infeſtius cum nouem equitum alis incumbentem, impetu facto, inuadens, denſatos ordines, deiecto ex equo Duce, perfregit, diſsipauit, fugauit. Nec cunctantior aliorum dextra aut ferrum, nam pro ſe quiſque Ducum ingenti molimine connixus, incitatâ cohorte ſuâ fulminis in morem irruit, atque acerrimè prœliando rem geſsit, nullus omninò non ſtrenuus, nullus non aduerſus in hoſtem, nullus ſui non immemor: itaq; pugnatum eſt, vt in accenſo cum hoſtibus prœlio, non minus inter tuos de virtute & victoriæ palma nobile certamen fuerit, habitumq; prœcipuæ gloriæ decus tuo præ-

ſentis teſtimonio, quàm maximam virtutem oſtendere, quia Tuam viderant: apparebat enim Te ita conſtitutum, vt aut digno Te, digno maioribus Tuis exitu fortiter occumberes, aut æterna cum gloria vinceres. Turbata igitur primùm hoſtilis acies, ac mox vniuerſa pulſa, tanto terrore fugientibus incuſſo, vti prœcipites Vngari montem maximè decliuem, quem otioſus ſuſpenſis ac cautis veſtigijs periclitari vix auderet, tanquam planum equis decurrerent. Hinc in flumen Moldauum, quâ parte vrbis ad cohibendas retinendaſq; in vſum molarum aquas altiſsimi aluei eſt, acti, cum vadum non haberent, & alius ſuper alium rueret, infauſtis vndis hauſti: pars altera multò maxima in vrbem fugâ fertur, atq; ad ipſas vſq; portas victoris ferro cæditur, ita vt plures fugiendo, quàm pugnando ceciderint. Fama eſt Palatinum eo tempore Pragæ hærentem, militari inuitationis genere à Turnio comite, per veredos euocatum ad longè pulcherrimum dimicationis ſpectaculum; neque enim de pugnæ euentu dubitare tanto Duci in mentem venerat. Lœtus accerſente nuncio Regulus actutum comitantibus aulicis ad cruentādos ſuorum ſanguine campos, pernici equo decurrit. Sed dum medium iter habet, tendentem vltrà, mœſtus nuncius inhibet, ac mox cernit ipſe mixtos equitibus pedites, peditibus equites, turmatim volare, fugere, vrbemq́ue contentiſsimis curſibus petere. Rapitur & ipſe eodem tanto cum pauore, vt Regiam paulò ante regnatam concitatiſsimo equo præteriret. Cæteri qui euasêre, inter quos Princeps Anhaltinus, Comes Turnius, alijq́ue Dynaſtæ, vicinitati vrbis ſalutem referre habent. Ferunt in fuga, cum ex minore ciuitatis parte in maiorem turbidiori curſu contenderent, ad eo cōfertim ſtipâſſe pontem, vt multi eliſi, multi proculcati, multi quia properantibus obſtabant, in profluentem deiecti ſint; ita cum noſtris armis deſiêre hoſtes cœdi, ſuorum manibus periêre. Felix victoria, quæ etiam aduer-

am aduerſariorum facinore cumulatur. Atque hæc eſt nobilis illa pugna, quâ Bohemi ante hunc diem prope inuicti; profligati, fracti & ſubiecti: Bohemi illi inquam, quorum militari ferociâ ante ducentos annos Ziſcâ Duce, infami,cæco, Sigiſmundus Imperator totius Imperij viribus ſtipatus, fuſus & fugatus eſt. Ingens ea tempeſtate ignominia accepta, nec ſemel, ſed iterum, iterumque. Ducenta millia militum Bohemiam ingreſsi, totidem in Bohemiâ aut ferro abſumpti, aut pauore pleni è Bohemiâ profugi. Non grauaberis Sereniſsime Princeps, audire fragmentum Epiſtolæ Henrici Bauariæ Ducis, è domo tua inclyti viri; is è caſtris Pragenſibus ad Albertum à Preiſing, quem vicarium ſuum appellat, anno 1420 iſthæc perſcribit. Bohemiam intrauimus, quinquies copijs, impedimentis, tormentis, carris, machinis, armis, annonâ, commeatu, ſupellectili, inſtrumentis bellicis, calonibus, amiſsis, pleriſque occiſis, multis in fuga obtritis; nec dum viſo hoſte turpiter terga, neſcio quo fato iniquo, vertimus.

Hæc Dux Henricus ante ducentos annos de Bohemorum martijs animis, & de panico noſtrorum metu. Fortuna Tibi Princeps, aut potius cœleſtium fauor, amicior fuit; illi è Bohemia fugerunt, antequam hoſtem viderent; Tu Bohemiam intrâſti, vt hoſti in conſpectum venires. Illi abierunt, nè ab hoſtibus inuenirentur; Tu per tot viarum anfractus quæſitum iuiſti hoſtem. Illi ceſſerunt, nè cum hoſte confligerẽt; Tu verò vt prœlium inires, inſequutus es hoſtes cedentes. Illi magnâ clade profligati ſunt; Tu profligaſti profligantes, & quidẽ imminutis copijs: amiſeras enim ante pugnam multos tuorũ, nè in pugna multi perirent. Atq; tales olim tui hoſtes erant, qui vt tandem vincerentur, à ſe vinci debuêre: & quidem mutuâ rabie graſſati, finem bello crudeliſsimo impoſuerunt, effeceruntq; prope, vt quod nullo bello factum meminimus, nec victi, nec victores ſupereſſent, ſed vniuerſi perirent nullo

 vincente.

vincente. At verò Serenissime Princeps, Tuis auspicijs & ductu supersunt hodie, qui vicère, & vt etiam aliqui superessent victi, maturè profugerunt, compendio victoriæ properatæ. Hæc illa est pugna, quæ coronam Regio sanguini raptam, legitimo capiti restituit. Tu Maximiliane Princeps, vt olim Romani Dictatorem verbo, Regem in Bohemia gladio tuo dixisti, imitatus magnum illum belli Ducem, qui magnificentius esse duxit Reges facere, quàm occidere. Hæc est illa pugna ad septa & carceres ferarum, seu leporarium malis dici, vbi infausto omine fixêre Bohemi, veluti non ita multò post, instar ferarum agitandi & mactandi. Hæc est illa pugna ad stellam, quam, abhinc biennio, stella tumendo crine rubens portendebat, vt constaret Bohemis, nesciisse se, quid stella illa prænunciaret, scire tamen iam, quam senserint. Hæc est illa pugna, quæ victoriam nobis prope sine sanguine peperit; nam de nostris nè ducenti quidem cecidêre, & tum potissimum cum per ardua hostem peterent, plumbeâ grandine percussi. Hostium insignis strages, ac si constitissent, internecina, foretque cadauerum series longior, si pugna fuisset: & tamen ad quinque millia funera campos rubefecêre; centum signa, tormenta omnia & quicquid castrensium rerum fuit, victoribus cessêre; quingenti capti, loco, ad quem metus impulerat, nempe in vicino Palatio, Stella nomine, quod eius speciem gerat. Hîc vltima metuentes, tenui munimine tecti, arbitrio insequentium se permisêre: inter illos Princeps Anhaltinus iunior, in pugna aduersis vulneribus inclytus, Comes Rhenensis, Comes Schlichius, aliique nobilitate & militari virtute insignes.

Regulus beneficio tenebrescentis noctis, ex veteri Vrbe vbi per reliquum diem latebris se condiderat, cùm equitatu superstite, Morauiam tristi fugâ tenuit, comite coniuge Anglâ, quæ Regina fuisset, si sine regno mansisset. Nobile exem-

plum humanæ ſortis, neque nos id ſine miſeratione commemoramus. Quis enim Friderice tuâ cauſa non doleat? alienâ culpâ peccâſti, tuo malo luis, ætas tua excuſare te poteſt, ſed non liberare, Senatores tui tibi offam intriuere, tu te exedis, illi futurarum momenta rerum, illi exitus variantis fortunæ, illi infidos euentus penſitare, illi in tuto te ſeruare debebant. Quid conſilij nunc expediunt? An adhuc perorant de Turcæ ſuppetiis? Turca quem iuuet non videt. iuuet Bohemiæ Regē? Regnum amiſiſti. iuuet Principem Palatinatus? & hunc peregrini poſsident. Turca nec Reges, nec Principes, ſed regna ac terras in tutelam recipit, & niſi tu habeas, nihil ille adfert. Ad Gaborem ibis? cum fortior eras, tibi opem tulerat: debiliori ſe nō iunget, niſi forſan vt tu eum iuues à ſuis deſertum; eadē eum ferè quæ te fortuna verſat: aliena quæſiuit, ſuis iam timet. Morauis fides & Sileſijs? niſi illi à te auxilium ſperâſſent, nunquam tuliſſent; iam autem exutum te vident, nec tegere poſſunt, niſi ipſi fiant, qualem te lugent. Quantula terræ portio Morauia & Sileſia? non contemnenda illa quidem, ſed poſtponenda ijs quæ Cæſari amicæ ſunt. Ad ſocerum tuum confugies? Magnus ille Rex eſt, ſed is magnum te non reddet, vt ipſe decreſcat; nimis remotus eſt: & tu illi non obtemperâſti, cum te perire vetuit. Quod ipſe rogauit, tu non præſtitiſti, nec quod tu iam rogas, ille faciet; noluit certè vt Bohemiam intrares, quî volet vt in eandē redeas? Non placet illi iſta Regum ſucceſsio, cum Anteceſſor viuit: etiam in Anglia ſucceſſores inuenirentur, ſi alij moliri vellent, quod tu feciſti: nec ſocer culpare poſſet factum, cuius gener fuiſſet auctor.

Hollandi fortaſſe animum ſumere iubebunt; mallem regnum reſtituerent: cum Hiſpani illos inuadent, tibi arma non mittent, nè ipſi careant, inducijs enim finitis bella gerent, vt ſe defendant: nihil tuis, nihil tibi ſperes; bellatores erunt ſed domi, quia domi hoſtis erit. ſi duos exercitus alere poſſunt,

 Hiſpa-

Hiſpanus duos ſuſtinere poteſt, tertium tibi non mittent, quia nec habebunt, & tu tibi miſſum amittere ſoles.

An liberas ciuitates ſollicitabis? præſtitêre iam vnioni quod potuêre, nec amplius ſuperat quod tribuant, & ciues Cæſari addicti, crumenam non excutient, vti Senatus pecuniam tibi adnumeret. Nemo volens largitur quod diſperdatur; ſi te iuuent, ſperare nil poſſunt, timere poſſunt. Quid enim ſperent, ſi totam Germaniam occupes? pedem illis non dabis; ſi bello vincaris, amittent ea quæ dedêre. Ita te cum carere poterunt, habere nil poterunt.

Sed ſpem fortaſſe in Achate tuo Turnio pones. Quam, oro te, ſpem? opibus tibi adeſſe non poteſt, has enim vt à te haberet, Regem te legit, bellumq; concitauit, vt alienas quæreret: neq; enim tantus vir aliorum quadras inuaſiſſet, niſi eſuriuiſſet. At verò armis pro te pugnabit! pugnabit ſi arma ei dederis, nam quæ nuper habuit, in Bohemia hoſti reliquit: nec potens vnquam erit, niſi tuis viribus Ducem tantum aget, qualem adhuc geſsit, & nullas terras, niſi ſeditione occupabit, bello amittet. Numeret mihi hodie duas aut tres caſas, quas ferro ſubegerit & retinuerit. Ego verò numerabo Prouincias, quas hoſti inermi verſutiis ac dolis ademit, armato reliquit. Ne nimium fidito militi glorioſo: mihi certè perſuadere non poſſum, fieri poſſe vt is te ſaluum reducat in regnum, ex quo ipſe profugit, vt ſaluus eſſet.

O ſi oraculum audiſſes cognati tui, eius, inquam, cognati, qui te iam acie vicit iterum, iterumq; ille te & per communem ſanguinem, & amicitiæ iura monuit, vt regno alterius abſtineres, aleam ne iaceres: vbi cæpiſſes, omnia armis agenda, omnia fortunæ committenda: aut te oppreſſum iri, aut hoſtem tuum; te verò potius: hoſtem magnas habere cognationes. ingentes opes, multas clientelas: ſuperari vno & altero prœlio poſſe, bello non poſſe: aurum illi domi naſci, ab al-

tero quoque orbe apportari. Ærarium tuum tam alti fundi non est, quod si euacues, non est quo repleas: & sunt quidam qui tibi amici sunt, sed non eorum loculi. Hæc socer, hæc cognatus tuus animo fidissimo ingeminârunt: sed quia perrexisti regnum alienum armis, & diadema alteri desponsum, imò consecratum tibi imponere, arma quoque Bauarus mouit (socerum naturâ prohibente) vti cupiditati tuæ, & insolescentibus per Bohemiam rebellibus obsisteret, Cæsare id postulante, & imperium in Bohemos committente: sanguine quidē is tibi propinquus, sed & Cæsari, qui præter ius & fas sceptro spoliatur, sanguine pariter & affinitate proximus est. Cum tuus te socer arguat, dolere non potes, si alius impediat: alter verbis, alter armis te compescit, neuter tibi hostis est, sed molitionibus tuis: absiste istis, sicut & consultoribus tuis, Caluini spiritu ebrijs. Inquieta est religio Geneuæ nata, vix enim parta est, & bellum peperit, quantarum heu cladium in Gallia, quantarum in Belgio! & si prope domesticum exemplum vis, quantarum in Anglia! Christianam fidem nulli Apostoli propagârunt ferro, nisi cum passi sunt. Quid censeas de turbida ista, & sæuiente Ecclesia? placido aliquamdiu apud vos Rheno decurrit, nisi quod subinde fluctus in Vbios & Alsatiam prouolueret: iam verò datâ portâ vna Eurus, Zephyrusq; ruunt, creberq; procellis Africus, & cœlum omne miscent. Bohemiam respice, quantis malorum turbinibus iactata est! Fumant adhuc ciuitates euersæ, oppida cinerum aceruis sepulta iacent: pagi laceri & exusti, campi cadaueribus coperti, reliquêre tuæ signa sæuitiæ, etiam inter suos; clementiæ non poterant, quia religio tua illi inimica, vti & quieti. Sed nec tu vnquam in otio eris, aut alios turbare desines, nisi apud te religio hæc desinat. E Prouincia tua iam secundùm pulsa est. tu tertiùm pelle, maximum hostem maximâ victoriâ vinces. Amabunt egregium facinus tam Lutherani, quam

 Catholici,

Catholici, vterq; Caluino infensi, quia offensi: nôrunt enim quid quidam tuorum scripserit, Non possumus mouere, ait, Saxea ista corda, (Saxonem Ducem, & alios Lutheranos intelligit) quid superest, nisi vt ipsos vnâ cum Papistis opprimamus! Plurimum certè superest, & fiet, quod veteri verbo dicitur, Consilium malum consultoribus pessimum: ille verò non facilè opprimetur, quia apud Saxonem sublime funus ambire videtur. Sed ego Serenissime Princeps longiùs abripior, ad Te potiùs reuertor, & Pragam triumphalem currũ sequens intro. Postridie pugnæ milites primi agminis mœnia & arcẽ adorti, ac nisi tu veredo properâsses, maleficiumq; in ciues vetuisses, ciuibus ferro fuit pereundũ, prædæq; fuisset opulẽtissima Vrbiũ; in eam quippe totius prope regni opes cõgestæ erant. Sed Tu Tibi nequaquam faciendum existimâsti, regnum occupare vt perderes. Fuit tamen auaro militi etiam sua rapina: dites Regiâ supellectile stabant currus, frustra pridie fugitiui: in hos feruntur cohortes, & multa centena millia, si aurum, si gemmas, si res æstimes, auidè diripiunt: atque ita non Rex solum pauculis horis amplissimam Prouinciam, sed raras quoque & ambitas Principibus gazas, ac periscelidem adamantibus distinctam, militaris ordinis in Anglia insigne, militari insolentiâ perdidit. tanto impendio regnum amittendum stetit.

Proceres peditumque laceræ legiones, veteri in Vrbe agebant, non perterriti solùm, sed etiam futuri metu perculsi. & illi quidem desperatis auxilijs, victoris clementiam prætulerũt. Legionarijs renunciare iussisti, nî mox vrbe facesserẽt, Te eos in cõpedes coniecturũ: abituros se dixêre, si vitæ ac reculis quas secum haberent, caueres, & nescio quot mensium stipendia persoluerentur: de duobus fidem dedisti, ad postremum renunciari iussisti, alia potius ipsos meruisse quàm stipendia, eò quod contra Cæsarem dominum suum arma tulissent, &

ſent, & contra Te aduerſâ acie pugnâſſent. Deſignato igitur illis loco, vrbe exceſsêre, habitoq; colloquio, in poteſtatem Cæſaris iêre, & à Bucquaio non pauci inauctorati ſunt. Vndecim â Nouembris die Praga omnis per tres vrbes diſperſa, Tibi Sereniſsime Princeps ſupremo Duci, ac Cæſaris partes agenti iurauit, & tertiâ dein luce magno numero regni Barones ac Nobiles, qui aut aulam regiam ſequebantur, aut latè omnia tenente, ac latius minante hoſte, metus cauſâ eo confugerant, ac Pragæ morabantur, Sacramentum dixêre. Atque ita vnum prœlium diuturnæ ac perniciosæ contentioni, in Bohemia finem impoſuit, & Tu rebus in tranquillo conſtitutis, ac Principe Liechtenſteino Prorege relicto, attributâ militiæ parte, Bucquaio reliquias fugati exercitus perſequente, præſidio equitum ſtipatus, in Bauariam ac demum Monachium ſeptimo Calend. Decemb. feliciter perueniſti; quanquã perperam loquor, nõ perueniſti, quia ex oculis noſtris nunquam abîſti; in memoria noſtra ſemper inhærebas, cum obliuione noſtri. decuit certè, vt nobis potior cura capitis foret: reliquorum membrorum iactura tolerabilior eſt; periiſſemus omnes, ſi vnus periiſſes.

Sed ego de hoc tuo aduentu infra dicam, vbi de genere belli, quod à te geſtum eſt, prius dixero, habet enim bellum hoc multa & peculiaria, & admiranda. Magnum exercitum ſcripſiſti Princeps, ne vincerêre; paucos conſeruâſti vt vinceres. Exercitus tuus triginta millia numerabat ex diuerſis terris & gentibus, viros armis inſignes, & arma viris inſignia. Equitum erant quinque millia quingenti, maior pars ferrati, & ſclopetis minorib⁹ inpenetrabiles. Peditum legiones quatuor & viginti millibus conſtabant. Valida manus & par potentiſsimo hoſti, ſed minimè Deo, qui tecum Princeps pugnare incepit, non vt tu vincereris, ſed ne vinceres per tam multos, & Victorem vnum agnoſceres. Luem, quam Vngaricã

appellant,

appellant, omnibus telis nocentiorem, nescio quo contagio irrepere permisit: hæc impetum primùm in vulgus fecit, ac dein in Palatina quoq; tentoria irrūpere ausa, ingentes funerum aceruos Libitinæ parauit, elusâ medicorum arte & operâ, nam non omni ægritudini suus Machaon. Nullâ acie sanè tot amisisses Princeps, etiam victus, quot victor perdidisti noxio hoc morbo. Supra quatuordecim millia malum sustulit: quis crederet Numen aut votis Tuis annuere, aut cæptis fauere decreuisse? Tua aula nobilitate exhausta est; morbo periclitati omnes (si præter Te tres eximas) mortui plurimi, etiam aulæ primi: Tu solus quod miraculo est, quasi fœdere cum coelo percusso, sine morbo, & quod maius est, sine morbi metu perdurâsti. Laboris socios amisisti, laborâsti tamen, & tantum quantum prius multi: milites amisisti, militâsti tamen, & ita, vt, licet milites minuerentur, militia tamen cresceret: victores amisisti, vicisti tamen, & quidem cum paucis, quantum vix sperabas cum multis: omnia amittere poteras, superari non poteras, quia Te seruâras, cui Deus victoriam destinârat sine Tuis. Hîc Gedeonem aut Dei DucēTe gesseras. Adhuc multus populus tecum est, Gedeoni dixerat Dominus, atque etiam mandauerat, ad pauculos dimitti, vt nosse disceret à cuius dextera victoria staret. Verè tu Gedeon, nam in militia eras, & cum Deo versabare; arma tractabas, & precum non obliuiscebare. Ante hostem non magis corpus, quàm animum recti conscium custodiebas; ita exemplo docuisti, militem pium esse posse: effecistique, vt non virtutibus solùm tuis, sed etiam alienis vitijs Magnus haberêre.

Cæterùm non absimilis exercitui apparatus, ac planè regius: currulia tormenta viginti quatuor: inter quæ eminebant Apostoli, nomen inde sortita, quod singula singulis Apostolis essent consecrata, ac fusam Patroni sui effigiem, ab

tergo referrent. Visum enim tibi semper fuit, auxiliantibus Diuis, & hostem ferire & tua protegere: neque absque consilio Apostolos intonare aduersus Caluinistas voluisti, nam quorum aures ad sonum Apostolorum, in Ecclesia per tot sæcula perpetuatum, insurduerant, horum tremendo tonitru arrigendæ erant. Globorum varij metalli ingens multitudo, ac pyrii pulueris tanta vis, vt maximæ diuturnæ militiæ sufficeret. Omnia egregiè instructa: iudiciumque magni Ducis Tampierij fuit, posse his viribus Constantinopolim vsque interiacentes terras subigi. Ostendisti re ipsa Serenis: non frustra Te adhuc hostibus Tuis formidini fuisse. nouerãt Tibi opes, nouerant Tibi arma esse; sed non satis nouerant, quia non satis senserant: iam minus scire cupiunt, debebant & minus lacessiuisse.

Nec abfuit tanto apparatui commeatus exactissima ratio, antequam exercitus tuus egere posset. Audieras & legeras Princeps, non rarò magnis conatibus, & milites, & arma superfuisse; obfuisse vnam alimentorum inopiam, atq; idcirco magnas spes sæpe intercisas, victosq; valentissimos exercitus, nõ ferro aut flãmâ, sed inediâ. Igitur prima tibi cura fuit, vti ante belli tempus frumentaria res conficeretur, videbarisque tibi securus famis, in quoscunq; casus. Verùm enim verò, cum subactâ Austriâ superiore rectà destinâsses infesta signa Bohemiæ inferre, Tampierio Cæsaris rogatu, abducente, in Austriam inferiorem, exercitum traxisti potiùs quàm duxisti, adeò incommodè tibi cecidit hæc profectio. Nam primò vberi regioni pinguis gleba est, tantisq; vulneribus itinera sulcabant, vt vectorii currus, quantumuis validi rumperentur potiùs, quàm promouerentur. Tristis deinde vbiq; terræ facies: pagi & oppida non viduata colonis tantùm, sed etiam exusta: stabant fragmina solùm mapalium, odore cadauerum tetra, & horrorem visentibus incutientia; in hæc tamen tu di-

uertebas, & licet liuentia ſanieque rorantia corpora conſpe-ctui ſubducerentur, hærebat tamen fætor, qui te non pepulit: præſcieras nempe etiam ſummis Ducibus duras eſſe Martis leges, nec victoriam quærendam per delicias, ſed ex victoria delicias naſci. Acceſsit demum, quod vigilantiam Tuam eluſit, cum per inhoſpita loca iter faceres, ac nulla annonæ ratio ſuppeteret, induſtriâ tuâ vti voluiſti, imò etiã veſci. Strau-eras Danubium nauibus, onerabas currus annonâ ſpem omnium fallente; hæc enim ſeu humore ſuperante, ſeu quo ſer-uabatur conclauis alio vitio, ſitum contraxerat, adeò quidem, vt oculi ad aſpectum horrerent, & nullus quantumuis famelicus eſuriret. Ergo lurida & putida Ceres Neptuno ducenda data, innatauêreque Danubio alimenta humana, exercitu inſtar Tantali, in copia inediam tolerante: ingens exercitui damnum; & per ſeptem ipſos dies inuiſa abſtinẽtia, morbo & morti patentiorem viam ſtrauit. Aureo licitabatur cibarius ac modicus panis, aqua, vti paluſtribus locis, pinguis, & putridæ ſimilis; hauſta erat omnis ceruiſia; floreno & pluris venibat hemina vini. Hac tantâ difficultate totis caſtris laboratum: milites, exemplo fortiores, ieiunia tolerabant, & veſcebantur ſpe futuræ annonæ. Viſus es certè ipſe, inumbrante ſub arbore aliquando conſidens, Tampierio conuiuâ, atrum panem carpere, atq; ita prandere, vti noctu cænare poſſes, ſi haberes. Memorabile factum in tanto Duce. Rudolphus Auſtriacæ magnitudinis conditor, etiam hac parte inclaruit, cum aduerſus Burgundiæ Principem duceret, re frumentariâ deſtitutus, eſuriente & indignante omni exercitu, agrum rapis conſitum præteriens, primus vulſum tonſumq; rapum mordicus inceſsit. Quid quiritamini, ait, milites, nobis nulla alimenta ſuppetere? En raporum abunde! Dignũ bellante Imperatore prandium, atq; haud ſcio, an vnquam alias magis regiè epulatus ſit. Neque in Auſtria ſolùm copias

tuas hoc malum exercuit, ſed in Bohemia quoq; infeſtantibus itinera Vngaris; maluiſti tamen carere abundantiâ, quàm victoriâ, quam per affluentes moleſtias quæſitum ingenti ſpiritu pergebas.

Contemplemur porrò iter tuum, non dicam, videamus, nam te magnis itineribus progredientem oculus aſſequi vix potuit. In Sueuiam primùm profectus, & per longitudinem Bauariæ in Auſtriam ſuperiorem delatus, quatuor aut quinq; eam diebus non ſolùm percurriſti, ſed & armis complexus occupâſti, inde in inferiorem deſcendens, rurſusque in reditu eandem dimenſus, ſinuoſo ac vario flexu Bohemiam permeâſti, & quidem tantis cum impedimentis, quot millia curuum ibant: & euntes quidẽ impediebãtur ab euntibus, quia ſuccedẽtibus, tardè locũ dabant; in tempore tamen venêre? Quàm ægrè ac lentè tormenta vehebantur, & tamen properabant? Cum venturus dicebaris, aderas, imò ſæpe citius viſus es, quàm auditus. Ars iſta Martia Iulij Cæſaris fuit: qui celeritate ſubegit orbem. Alius quinq; menſibus tot terras obire ſat habuiſſet, Tu etiam impedimenta trahebas & expugnabas, quæ vianti obſtabant, vrbes; nec alia militum querela de Te audita eſt, quàm Te nimium properare, ſe fatigari. Non amãt hanc virtutem milites, nec arma ſumunt vt ſtatim ponant, aut domo ſolùm abeunt, vt redeant. Longa militia, longa ſtipẽdia, paruo operæ fructu. altior tibi Duci ſenſus; noſti enim vno die, vnâ horâ poſſe negligi, quod mille anni non compenſant. Sed magnis paſsibus gradienti Pilſna moram iniecit, inuitumq; ad decimum tertium diem tenuit. Inſtabat interim hyems, ac metus ſubiti frigoris abitum ſollicitabat: compoſitis tandem rebus, Pragam abire licuit; cœlo fidem perennis ſudi eò vſq; ſeruante, quoad illa victor potireris. Nec ſpecie miraculi caruit, Te perpetuo trium ferme menſium ſpatio, ſerenitate aëris vſum. Ioſue fortunatiſsimo Iudæorum Duci, ad ali-

ad aliquot horas currentis solis equos adductâ habenâ consistẽtes Deus tenuit; Tibi non horas, nõ dies aliquot, sed ipsos menses sol lucere iussus, fueruntq; imbres, & aliæ auræ inclementioris iniuriæ, ab ipso Numine proscriptæ, donec festo victoria curru Te rebus gestis lætum triumphantemque in regiam vrbem induceret. Atq; ita Deus, qui æquâ lance omnia librat, & dispensat, sicut fame & mortalitate exercitum Tuum afflixit, sic cæli temperie alijsq; faustis auspicijs identidem recreauit.

Cæterum, etsi ad victoriam Tuam & miles lectus, & insignia belli instrumenta, & prouidentia Tua, & diligentia, & labor, & indefessum vincendi studium, plurimum contulerunt; potissima tamen laus debetur consuetæ pietati Tuæ: nam, vt supra memorabam, in castris eras, & quasi domi Deum precabaris: inter tubas & tympana versabaris, & sacris operantes audiebas; iam hoc, iam illud cogitabas, & Deum victoriarũ dispensatorem semper obseruabas: nihil militia differebat ab aula domestica Tua; aulâ inquam à modestia inclyta, & religione per Europã celebratissimâ. Vidêre Te milites Tui, etiam in ipsis campis sacræ mensæ accumbentem, & qui religionem oderant, virtutem Tuam tamen laudabant; vnius certè excepta vox fuit, tam sanctis moribus Principem vinci non posse. Cum Pragam victor equo intrares, proximum in itinere templũ sine pietatis nota præterire Religio vetuit: equo igitur descendens prolixioribus, quàm vellent milites, precibus ostendisti publico testimonio, cui tam felicem rerum successum in acceptis referres.

Sed reuertamur iam ad victoriam, & reditum tuum. Vbi fama per orbem nostrum increbuit cœsum à te hostem, ac regiam vrbem armis tuis se submisisse, per omnes mox plateas & domos, gaudium ac mutua gratulatio orta, potissimumq; animos extulit Te in mortua, & adhuc moriẽte aulâ Tua valere. Nolu-

re. Noluimus victoriam sine Principe nostro: si quid perditum fuisset, Te saluo recuperari potuisset: Te verò amisso, si non omnia amisissemus, omnia certè non recuperassemus, ita maior iactura fuisset in vno, quàm in omnibus; quia vnus omnia reddidisset, omnia vnum non restituissent.

Adiecerat fama Te regno pacato, ac rebus ritè & ordine constitutis, Monachium Principem Tuam Sedem, propediem reuersurum, id verò nuncij cum publicâ acclamatione acceptũ esset, ora Principis sui, vultũ inclyti Ducis cum multiplici trophæo reuertentis quilibet intueri, quilibet victrici dexteræ osculum figere auebat: atque dum vota omnium, dum excipiendi tui studia feruent, Tu festinato per dispositos equos itinere, vt nostram expectationem occupares, & quæ nondum parata erant, impedis, & quæ parata erant, tolli mandas; fortunâ ipsâ non iniquâ iudice, quia nulla poterat pompa instrui, tanto victore digna. Nos fortasse multa visenda posuissemus, vnus Tu visus fuisses: oculos nos prouocâssemus, Tu habuisses. Et quid tandem effecissemus ad Tui honoris augmentum? Decuisset fortasse tormentis cœlum æmulari, atque inter nitrata fulmina æstiuum tonare? At verò iam nos præueneras in Bohemia; tanta enim tonitrua ibi excitâsti, vt regnum ipsum cõciderit, & longè positæ gentes inaudierint: nostra fulmina minora fuissent. An arcus triumphales quis expectasset? Res gestæ nostri Principis instar omnium arcuum sunt, neque illas exhibere possent vlli arcus, nisi à Sueuia in vtramq; Austriam, ab his per Bohemiam sese porigerent: magnos arcus diceres; præclarè factis maiores non diceres. An desiderasset quis, vt noctes incenderemus, & somnos illustraremus artefactis ignibus? At victoria Principis nostri maiori iubare fulget, vnaq; cum Phœbi nitentis radijs Europam decurrit. Nemo lucem adferat, vbi dies est; dies est, vbi noster Phœbus est, cuius lumen Bohemia accendit, & suâ ruinâ nobi-

nâ nobilitauit. Alia quis exegisset triumphalia? Triumphum habuimus; Principem vidimus, Principem inquam, cuius desiderium inter tot infidæ Bellonæ casus, inter tot mortis discrimina fluctuantis, vix tulimus; vidimus inquam, & vt videremus omnis effusus ciuis est, idemq; campos impleuit, vt Tua præsentia impleret ciuitatem, Tuâ absentiâ viduā & vacuam. Principem in his locum Principes nostri tenuêre, obuiamque longius iuêre, quia tibi propiores fuêre. Genitor, Coniunx, Frater, Fratria; hi Tui triūphi ornamenta; illi Tuum gaudium, Tu illorum: Quem animi sensum fuisse putas Serenissimo Parenti Gulielmo? Gulielmo inquam, pietate ac religione, per vtrumque orbem clarissimo? Fortunate senex, libet enim Te pariter alloqui, nam Tuus hic triumphus est, quia Filij Tui est; tam Tuæ quàm Filij æternitati in hoc honorato senio viuus interes, & virtutis tuæ amplissima præmia in liberis Tuis infers, MAXIMILIANVS vt natu maior, ita & factis; decus ingens à Serenitate Vestra, & ab antecedentibus longâ serie Progenitoribus accepit; ingens adfert. Imperij Principibus bellum molientibus, armatus pacem obtulit; acceptauêre, nè nunquam haberent. Austriam superiorem inuasit; & domuit; inferiorem petijt, & hoste liberauit; Bohemiam intrauit & subiecit. Nouum planè genus bellandi, tribus aut quatuor mensibus multorum annorum laureas mereri; Filius meruit, Pater etiam portat, & tanti honoris Collega est, qui in tanta fortunæ incrementa Filium genuit, & eduxit.

Alter liberorum Tuorum Ferdinandus, septemviratu inclytus, Rhenum illustrat, imò Germaniam, pietate, morum castimoniâ, & prudentiâ. Imperij nobile columen, sed cæsum ex adamante Domus Tuæ: iam ad summa peruenit, nec altius ire potest, tametsi, si quid esset quod altius ascenderet, virtus mereretur. Tertius Albertus est, egregius omninò

Princeps, nec à Tuis virtutibus degener: eius Filij, tui Nepotes, senectutem tuam recreant, & stirpis ad posteros propaginem haud vanè despondent; huius igitur Filij Filijs iam frueris, & ita quidem, vt etiam alterius expectes, quem ideò fortasse superi suspendunt, quod operosum sit ipsius imaginẽ dare. Sed neque mihi Philippus prætereundus, qui licet præmaturo fato diem obierit, in luce tamen adhuc versatur, purpurâ Romanâ illustris. Ostenderãt Numina Iuuenem incomparabilem terris, quem sibi asciscerent, cum diuis similis esset. Ratisbonæ, vbi Episcopus fuit, nobili Mausolæo, Fraterno opere, quiescit. Carolum adolescentulum mors Sallisburgi abstulit, tam bonâ indole Principem, vt virtuti eius ætas futura parum additura videretur: primis annis omnia habuit, & sine sua iactura mori potuit, sine sui iactura non potuit. De filiabus quid dicam, & ipsæ virtutibus eminuêre: Maria Anna innocuæ vitæ fæmina, Boicæ Domus non exiguum decus Ferdinando Austrio nupta, Cæsaream progeniem nondum Cæsari moriens reliquit, iamque diademate immortali fulget, habitura & mortale, si vixisset: magnum eius in Austria nomen; & appellantur quidam sancti post mortem, ipsa ante mortem. Altera Magdalena est, prudens, & grauis Princeps, quæ antequam Palatini Neoburgensis nuptijs illigaretur, pronubam habuit Catholicam religionẽ, effecitque vt vnis nuptijs ipsa egregio Principi fieret coniunx, & Princeps, Ecclesiæ Filius, qui multa hominum millia ad eandem adducere satagit Marito & successurâ prole felix.

Ecce hi Filij Tui, immortalis Senex. & permittat mihi Serenitas Vestra cum sacro vate canere, Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Syon, & videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ Tuæ: Et videas Filios Filiorum Tuorum, pacem super Israël. Pacem planè vides

& nos Tecum beneficio Serenissimi Principis nostri Maximiliani, qui eâ re consilio & armis Patriã muniuit, vt pace frueretur; bellum gessit, vt nos victoriâ gauderemus; gauderemus inquam, & præ alijs Serenissima coniunx Elisabetha, lectissima Princeps, diu animo ægra, & perpetua solicitudine suspensa, de Tua Princeps MAXIMILIANE vnius salute: neq; enim bene Illi esse potuit, quod Tibi bene esse nesciret. Itaq; vti valeres & vinceres, assidua in publicis cõprecationibus, diuisam militiã tecũ habuit, & partẽ prælij; ferro Tu, Illa supplicijs ad Deũ hostes expugnauit; Laudato certè exẽplo summos infimosq; ad perẽnes preces traxit, si tamẽ trahi potuêre sponte currentes; nam is ardor omnium in templis fuit, vt appareret magna de causa preces fundi; nempe pro incolumitate Principis nostri, quæ eadem & ipsius Coniugis, & nostra omniũ est; sine Te enim Princeps esse poteramus fortasse, salui esse non poteramus. At qui quantò diligentiores fuimus, curâ identidem stimulante, in votis persoluendis pro felici rerum tuarum cursu, tantò lætiores hodie huc concurrimus, & tristitiam nostram abundè solamur, imò etiam fænus cum mœrore exercemus: licet enim hic grauis nobis visus ob Tuam absentiam, maior tamen ob Tuam præsentiam lætitia est; nec frustra multum doluimus, qui tantũ triumphi & gaudij consecuti sumus. Et quid mirum est omnibus nos lætitijs incedere? In luctu & tenebris iacebamus, quia oculus noster aberat; hodie oculus redit, & mens serena. Si vnquam alias Princeps Serenissime, cognoscere potuisti, quanti Te Tui clientes facerent, quãtum Te diligerent, hodie cognoscis.

Quanta multitudo Tui cupida, Tui studiosa, per longa viarum spacia dextrâ læuaq; stetêre armati, vultu gestuque faustissima apprecantes? Campi inundauêre magnis copijs inermium; hoc ipsum augustissimum B. Virginis templum, licet amplissimum, numerum eorum non capit, qui Te incolumem

lumen videre cupiſcunt. Qui vident lacrimantur; qui videre non poſſunt, indignantur; vtrumque pietas facit, quem ante hac habuerunt, quem & deinceps habituri ſint, clarum ſcilicet & illuſtrem futuris ſeculis; ornamentum Boicæ non intermoriturum. Omnia Tibi debent, omnia Tibi volũt, quia à Te omnia accepere: ornaſti enim multis decoribus vniuerſam prouinciam, ornaſti ipſum imperium, ornaſti domum Tuam, & debebunt Tibi etiã poſteri Tui: quid dico debebunt? parce mihi; de Te non iniuria etiam conquerentur, nam ſplendore hoc Tuo quo ipſos illuſtras, non paruo quoque incommodo oneras: efficis enim virtutum tuarum magnitudine vt omnibus difficile futurum ſit Tibi ſuccedere.

DIXI.

SOLIDEOHONORETGLORIA